



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 94. Veneti Veronam recuperare nequidquam moliti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

non modo pro Venetis perorare interd-  
 ctum fuit, sed & ipsi per Cæsaris edictum  
 imperio proscribebantur: Maximiliano  
 autem trecenta ferme aureorum millia in  
 subsidium adversus Venetos promissa fue-  
 re. Helianus quoque, comitis ita ab-  
 solutis, Budam profectus, Hungariæ Re-  
 gem, ut Cameracensi foederi nomen da-  
 ret, induxit, spe facta, quod Dalma-  
 tiam sibi a Venetis ereptam recuperatu-  
 rus esset: attamen quamvis bellum Ve-  
 netis nunciasset, id tamen intulisse haud  
 videtur.

## §. XCIV.

*Veneti Veronam recuperare nequid-  
 quam moliti.*

Nihilominus Venetorum Senatores pro-  
 speris successibus elati, spretis Re-  
 gis Hungariæ minis Veronam ex insidiis  
 capere decernebant, audaciam stimulan-  
 te hujus urbis civium seditione, qua hi  
 in Germanos acrius concitati, una om-  
 nes jugulare statuerunt, ac præprimis  
 exploratæ fidei Virum ad Senatum ab-  
 legarunt, qui cum Senatoribus de ratio-  
 ne Venetorum copias in urbem immit-  
 tendi ageret; cum autem murorum al-  
 titudine minus accurate descripta, sca-  
 læ, quæ parabantur, Fastigium minime  
 attingerent, mora temporis, quo duæ  
 in

Sæcul. XVI.

A.C. 1510

Guic. 1. 9.

Marian. lib.

30. n. 3.

Sæcul. XVI. in unam conjungebantur, nec non laborantium strepitus præsidariis saluti fuit, qui rem edocti, arma capeffendi opportunum nacti sunt temporis spacium; protinus igitur Marescallus Calvimontius obsessis in opem accurrit; quamvis ejus solertiam præceps Venetorum fuga eluserit; hi enim veriti, ne, si hostium turmæ a tergo, atque a fronte instarent, ipsi undique cincti impetum reprimendo impares essent, nec adventum quidem Gallici auxilii sustinentes, pedem referebant. Posthæc cives, qui Venetorum ingressum in urbem promovere conabantur, capti, quæstioni subjiciebantur, crimenque confessi, pro Germanorum more rotæ supplicio mulctabantur.

## §. XCV.

*Prætensa Sedis Apostolicæ jura a Julio contra Ferrariæ Ducem suscitata.*

Sinistro Venetorum successu, ac Gallici exercitus prosperitate territus Papa, pacem conciliare peroptabat; haud enim ignorabat, Cæsarem Ludovico immota fide adhæsurum, necnon Regem Helvetiorum quidem præsidio frustratum esse, utpote qui Gallorum stipendia recusabant, facile tamen auri spe captos ad signa reversuros: considerabat etiam, Henricum VIII.